



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

19. De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel nons

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

TITULUS XIX.

De obligatis ad Ratiocinia Ordinandis, vel non.

Quoniam hoc titulo prohibeantur ab Ordinibus? *Resp.* 1. Qui ob publicam administrationem bonorum Reip. obligati sunt ad ratiocinia, ut sunt Quæstores. Tributorum susceptores. *can. un. dist. 53.* 2. Obligati ad administrationem privatam, ut sunt Tutores, Curatores, Procuratores. *c. un. h. t.* 3. Alii quicumque administratione aut negotiatione sæculari obstricti, non conveniente statui Clericali, quales sunt obligati militiæ, Vasalli ad obsequia personalia Ordini Clericali repugnata obligati &c. Qui omnes & his similes ordinandi non sunt, nisi prius huiusmodi administrationes deposuerint, & simulationes reddiderint? quia utrumque *c. un. h. t.* requirit. Rationes huius Constitutionis sunt v. g. quia Officiales ejusmodi in reddendis rationibus doli convinci, & litibus vexari possunt, quod cederet in grave damnum & infamiam Ecclesiæ. Quia non tam amore divini obsequii, quàm ratiocinia & forum sæculare fugiendi Ordines suscipere præsumuntur, &c.

Resp. 2. Nomine obligatorum ad ratiocinia non veniunt, adeoque licitè ordinantur ii, qui officia habent & administrationes, etiam à Clericis laudabiliter exerceri solitas; quales sunt Procuratores & Tutores personarum miserabilium;

ad-

administratores Ecclesiæ in temporalibus etiam: qui legitimam agnatorum tutelam habent: Principum Cancellarii, Consilarii, imo etiam causarum civilium iudices. *ŷ. Pirh. h. n. 3.* Deinde non veniunt administratores in *Resp. I.* nominati, si deposita administratione principalibus suis idoneè caverunt de solutione. *L. 6. §. 1. ff. de Muner. & honorib.* Demum non illi, qui aliis ex promissione, mutuo, emptione, aliòve contractu ortam ad ratiocinia obligationem habent. Ratio, quia eos ab Ordinibus removendos nullo jure expressum est. Si tamen talibus his foret mota de dolo, repellendi essent ab Ordinibus. Ratio datur in *§. 2. Inst. de pæn. tem. litig. L. 1. & 6. §. 5. ff. de his. qui not. infam.*

Q. 2. Quid juris, casu quo obstructus ratiociniis est ordinatus? & an ratiociniis obligatus arceatur quoque ab Ordine religioso? Resp. ad I. Ordinatus deberet cedere bonis suis, ita tamen, ut ei relinquatur competens sustentatio: vel compellendus est ab Episcopo, ut alio modo, si possit, satisfaciat: imò ipse Episcopus scienter Ordinans invitis creditoribus his satisfacere tenetur; quia est causa principalis damni.

Resp. ad 2. Aff. ita expressè statuente Sixto V. in Bulla: *Cum de omnibus* edit. *Cal Decembr. 1586.* quæ tamen per Constit. *Clement. VIII. In Suprema.* reducta est ad terminos juris communis, quoad illud punctum, quo statuebat, nullam esse Professionem ratiociniis obligati.